UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ. 9. Piscina Passionem Jesu Christi nobis repræsentat, quam in adversitatibus nostris semper meditari debemus. 2. Aquâ autem salutifera hujus piscinæ ejusdem Domini ...

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

## SERMO NONVS.

# IN FERIAM SEXTAM DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

*Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit* IESVS *Ieroſolymam, eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina.* Joan. c. 4.

1. IAm hyberni rigoris & frigoris vehementia remiſerat, quando Hieroſolymis debita cum feſtivitate & pompa Paſchalis celebrabatur ſolemnitas, aut dies agebatur Pentecoſtes, ut volunt Cyrillus, Theophyl. & Chryſoſt. *Cyr. Alex. l.2.c.113.* Cui ſolemnitati Verbum quoque Incarnatum, ut ea, quæ in ſimili ſolemnitate à ſingulis exiguntur, æterno Patri exſolveret obſequia, aſſiſtere volens, à Judæa receſſit, ſeque ad præfatam Urbem Judææ Metropolim recepit: *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.* In quodam foro autem, ubi major convenire ſolebat populi frequentia, piſcina quædã erat, non minus myſterioſa, quàm ſalutaris & famoſa, quæ à quinque eam circumſtantibus porticibus cingebatur, quæ certis determinatiſq; temporibus, cæcis, paralyticis, claudis, & omnis generis infirmis, ad eandem piſcinam in incredibili numero cõcurrentibus, refertæ erant: *In his jacebat multitudo languentiũ, cæcorum, claudorum, & aridorum,* Joan. 4. idque nullo alio fine, quàm ſanitatis recuperandę causâ: *Qui gratia ſanitatis recuperandæ illuc ſe recipiebant*, inquit Tolet. ibi. in com. Perſuadebat ibidem patientia uniuſcujuſque deſiderio, ut moram eò uſque ibidẽ traherent, donec Angelus de cælo deſcendiſſet, ejuſque adventu moverentur aquæ: *Mald.* *Vt indicaret motus ipſe, aquam illam non naturali, ſed divina virtute, tanquam Dei inſtrumentum ſanitatem dare*, recipiendo virtutem curativam, cuivis infirmitatum generi ſubſervientem: *Omnis infirmitas corporis, ſeu membrorum defectus, etiam quibus ars & natura ſubvenire non poterant, in hac piſcina ſanabatur*, inquit Tolet, *ibi,* cõformiter ei, quod S. Ioannes ſcribit: *Sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate* *fol. 422. in comm.* Verum quidem eſt, aquas illas non ſemper, ſed *ad tempus* quoddam ſalutiferas fuiſſe, ut vel inde virtutem illarum minimè naturalem eſſe cognoſceretur: *Mald. ib.* *Vt appareret vim ſanandi divinitus illi ad momentum temporis impreſſum, non naturaliter datam fuiſſe.* Neque etiam ſanitatem omnibus reſtituebat; quæ cauſa eſt, quod non dicat; *Quicunque deſcendiſſet*, ſed *Qui prius*, id eſt, qui præ omnibus aliis maximè foret ſollicitus, & tardioris moræ major inimicus primus omnium ingrediebatur, is obtinebat ſanitatis intentum, qua in re Deus nobis inſinuare volebat, *Idem ibid.* *Etiam in percipiendis divinis donis, quæ gratis nobis & ſine merito noſtro dantur, multùm noſtram valere diligentiam.* Vix ad hoc infirmorum hoſpitale cæleſtis advenerat medicus, cum ecce oblatus eſt ei miſerabilis quidam Paralyticus, qui neminem, qui ſui compasſione tangeretur, inveniens 38. annos langvens lecto affixus fuerat, jamque adverſante ei fortunâ ad extremæ neceſſitatis, miſeriam erat redactus; unde graviter afflictus & dolens Domino dicebat: *Hominem non habeo.* Ubi Toletus ib. in comm. ait: *Languidi ſumma paupertas probatur, qui nec pecuniam, qua hominem in adiutorium per breve tempus conduceret, haberet;* at verò ubi hominis deficiebãt ſubſidia, Dei auxilia ſuperabũdabant; *Did. Baëz t. 1 in Evang. l. 9. c. 2.* *Quem humani auxilii penuria dum arctat, auxiliatrix divina manus acceſſit.* Verum enimvero ô Auditores, quot hîc nobis S. Ioannes in hodierno Evangelio ſuſcitat ſpirituales ac myſticas materias. Meritò hîc dicere poſsũ: *Inopẽ me copia fecit.* Subjungendo cum S. Aug. *D. Aug.* *Quidquid*

*autem*

D. *Aug. cap* 9. *in cap* 5. §. 10 *tract.* 17.

*nutem non poſſum, ſupplebit in vobis ipſe, quo adjuvante, facio quod poſſum.* Quapropter ne argumentorum multitudine confundar, ad tria duntaxat, quæ inter alia magis præcipua ſunt, me determinare decrevi, tanquam ad præſentis diſcurſus mei futura ſubjecta, ſcilicet ad piſcinam, ad porticus, & ad aquas. Per piſcinam autem cum S. Ambroſio Paſſionem Chriſti intelligetis: *Erat hoc piſcinæ miraculum figura adventus Domini noſtri IESV Chriſti, qui in hunc mundum paſſurus venit, ut per paſſionem ſuam & mortem humanum genus infirmum ſanaretur.* Quinque autem porticus, quinque crucifixi Redemptoris noſtri vulnera exprimunt: *Quinque porticus ſignificant quinque vulnera principalia,* ut ait S. Vincentius Ferrerius; deni que in aqua, juxta eundem Patrem, ſanguis ſignificatur, à Salvatore noſtro in cruce copiosè effuſus: *Et ſicut illa aqua ſanavit, ita Chriſtus nos emundavit per mortem, juxta illud: Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundavit conſcientiam noſtram.* Cùm igitur boni veſtri omnes percupidi ſitis, hortor vos, ut quotieſcunque vos languidos & paralyticos, id eſt, quacunque demum adverſitate anguſtiatos deprehenderitis, myſticam hanc ingrediamini piſcinam, ſacratiſſimam Redemptoris noſtri meditando Paſsionem: veſtroſque oculos in quinque vulnerum Chriſti crucifixi porticus figatis: denique contemplatione ſemper viva vos in ſalutiferum Jeſu Chriſti ſanguinem immergatis, ad hoc, ut animæ veſtræ liberentur, *à quacunque detineantur infirmitate* Exordiamur.

*Vinc. Ferr. fer.* 5. *poſt Dom. Quad ag. ſer.* 2

2. *Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina.* Quælibet potentia, & ſcientia, nec non quodvis agens, ſive naturale illud ſit, ſive artificiale, determinatum ſuum objectum habet, ut Philoſophi dicere ſolent, *circa quod,* ad quod velut ad centrum lineæ, ita omnes eorum tendunt operationes. Mercator nihil aliud reſpicit, quàm lucra; Naucierus portum, peregrinus patriam, miles famam & exiſtimationem; venatōr ferarum prædam, ſtudioſus virtutis perfectionem. Unde ſi quis me interrogaret, qualenam objectum Chriſtianus, ut Chriſtianus, ob oculos mentis & corporis habere debeat, ad quod cunctas ſuas actiones & opera referat? reſponderem inprimis, objectum hoc eſſe Deum, unum in eſſentia, & trinum in perſonis: aut quia objectum iſtud nimis eſt amplum & immenſum, & conſequenter capacitati noſtræ, quamdiu in hac vita ſumus, improportionatum: *Dei enim natura cùm incorporea ſit, ſimpliciſſima, & infinita, dum ſublunarem hanc regionem incolimus, cogitationibus noſtris imperium eſt,* inquit doctus Mirandulanus; ideo reſponderem ſecundò, modum, objectum iſtud noſtræ cognitioni intellectivæ proportionatum reddendi hunc eſſe, ſi videlicet meditemur Deum in carne paſsibili, cum humanitate plagis & vulneribus lacerata, deformata flagellis, ferris divulſa, perforata clavis, & ſanguine cruenta: *Quapropter recurrendum eſt ad Chriſtum imaginandum, & hunc potiſſimùm crucifixum, faciliùs quippe paſſionem illius meditari poterimus, eandemque animæ proponentes, veluti objectum, circa quod verſetur, in bonitatis Dei cognitionem veniemus.* Porrò populus Iſraëliticus à crudeliſsima Babyloniorum tyrannide anguſtiatus aliud in ſuis ærumnis non habebat ſolatium, quàm frequentem petræ, ſeu lapidis cujuſdam aſpectum, quem annulo ſuo ferebat incluſum, cui deſideratæ patriæ ſuæ urbis Jeruſalem inſculpta erat figura ſeu ſpecies; quaſi dicere vellent: *Licet exules à patria ſimus, nunquã tamen tui Ieruſalem nos invadet oblivio.* Cur igitur nobis omnes in hac terreſtri Babylonia obvenientes adverſitates & ærumnæ non redderentur ſuaves, ſi myſticam hanc petram, *Petra autem erat Chriſtus,* oculis noſtris continuò obverſantem habuerimus, in qua non jam civitas Jeroſolymarũ, ſed amariſsima ejus paſsio, clavis ferreis, & lancea reperitur exſculpta, & ad vivũ delineata? Poſtquam Thebani de modo Spartanos adverſarios ſuos vincendi conſuluiſſent oraculũ, hoc ab eodẽ retulêre reſponſum, ut ſcilicet priuſquam conflictum ſeu prælium ordirentur, Ariſtomenis ſcutum in trophæum erigerent, quod faciendo, glorioſam ab inimicis reportarunt victoriam. Nos quoque omnem nobis obviam adverſitatem facile ſuperabimus, ſi ſcutum, ſeu potiùs vexillum chriſtianæ militiæ, id eſt, humanitatem Verbi, cicatricibus ſuis inſignitam, ob oculos noſtros erigamus. De ape Naturaliſtæ ſcribunt, quòd apis, dum ventorum turbines aërem infeſtant & agitant, ne corpuſculum ejus à vento abripiatur, lapillum quendam volando ſecum portet, quaſi dicat: *Labore laborem fero* Qui ſe ab humanarum miſeriarum ventis diſjiciendum & abripiendum eſſe formidat, ſecuritati ſuæ optimè conſulet, ſi lapidem illum apprehendat, de quo per Pſalmiſtam dicitur: *Lapidem,*

*quem*

*quem reprobarunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*; ſic enim majori cum ſecuritate apis dicere poterit: *Sine labore laborem fero*. Sic quoque Grues Taurum montem tranſvolaturæ, de lapide quodam ſibi proſpiciunt, quem roſtro portantes, os ſibi quaſi occludunt, ne fortè inadvertentes cantu vel garritu ſuo voraces excitent aquilas, tenacibusque & aduncis earum unguibus in prædam cedant: quo ſalubriter commovemur, quod ut montes vitæ & mortis, qui à Propheta *Montes caliginoſi* vocantur pertranſituri, evitare poſſimus, & quod à terrenarum adverſitatum aquis nobis imminet, periculum, nullum ſciſcamus medium, quam ſi myſticam crucifixi petram in mente noſtra circumferamus.

Hierem. 13.

Ova intra aquæ ſalſæ amaritudines, experientia teſte, dulceſcunt; unde nonnemo pulchro ingenio præditus, ex iis in mari poſitis Emblema formavit, idemque animavit per hanc ſubjectam epigraphen: *Amaritudine dulceſcunt*, ad eum fere modum quo Eliſæus aquas maris injecto ſale fecit dulceſſere: quanto igitur ſuaviores fient noſtræ amaritudines, ſi iis amaritudo Paſſionis Chriſti fuerit permixta? S. Bernardus nullam invenit in adverſis ſuis efficacius lenimen, quam Chriſti Paſſionem: *Configge cruci manus meas & pedes meos, & totum paſſioni tuæ conforma ſervum tuum Domine.* S. Bovent. p. 1. c. 1 optaſſet in cruce cum crucifixo, & cum eo ſemper uſque ad ſepulchrum uniri potuiſſe, at verò quia idipſum in carne obtinere non poterat, mente illud exequebatur, Dominicam Paſſionem eidem ſemper & continuo impreſſam habendo: *O cur Crucis illius loco non fui, ut Chriſtus fuiſſet manibus meis & pedibus conclavatus? ſed ſi hoc modo facere non poſſum corpori, ſaltem hoc volo mente.* Deus S. Mariæ Magdalenæ cum ad faciendam pœnitentiam in horridam quandam ſe ſpeluncam ſubduxiſſet, Crucem quandam S. Michaëlis Archangeli miniſterio miſit, quam ad introitum ſpeluncæ ſuæ collocavit, ut ei tanto commodius continuo ob oculos verſari poſſet, in eaq; ipſi omnia in cruce conſummata myſteria diſtinctè repræſentarētur, eſſetque ipſi inter pœnitentiæ ſuæ aſperitates refrigerio & conſolationi, nam ut S. Gregorius in Epiſt. affirmat: *Nihil adeò grave, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reducatur.* Sponſa Sponſum ſuum inter dolores faſciculo myrrhæ ſimilem eſſe dicebat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus, inter ubera mea commorabitur.* Quē paſſum B. noſter Ægidius Columna exponens dicit, *Myrrha eſt arbor, cujus gutta eſt amara unde ſignificat Paſſionem Chriſti: hæc autem Paſſio fuit faſciculus myrrhæ, rurſum in eo fuit congregatio myrrhæ, id eſt, amaritudinis propter multas paſſiones & opprobria qua ſuſtinuit.* Verùm dic ſodes, ô ſponſa, cur non potius in ſinu tuo circumfers faſciculū florum talium, qui odore, colore, venuſtateque ſua præſtantiſſimi ſint, qui ſponſum tuum Nazarenum, id eſt, floridum repræſentent? Nolo, nolo illos; cordi namque meo amaro, non vero ex delitiis ſuavi, myrrha, non flores conveniunt. ſecuram enim me hæc myrrha reddit, quod hæc inter amaritudines meas labiis meis futura ſit dulcior omni nectare, & ambroſia ſeu manna ſuaviorē: *Propterea denique*, inquit Bernardus ſer. 43. in Cant. *non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leve pro amore ipſius ducat, quicquid laboris imminet & doloris.* Demum verò idemmet Bernardus quamvis animam devote exhortatur, ut hanc myrrham in pectore ſuo portando, Sponſam imitetur, utpote quæ admirabili & gratioſa quadā metamorphoſi omnes noſtras anguſtias in gaudium & exultationē ſit commutatura: *Si ſapis imitaberis Sponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens.* Idem ibid. Probemus idipſum per inductionē ex variis hactenus habitis experiētiis

Ægidius Colum. in cap 1. Cantic.

4. Reg. 2.

D. Bern. ſerm. 2. de Paſſion.

Sylveſter Rom. ſerm. de ſancta Magdal.

3. Deus Abraham fidelem ſervum ſuum, qui ſub dulci ſomno nihil cogitans quieſcebat, advocat, eique præcipit ut filium ſuum unigenitum in monte quodam ſacrificet, dicens: *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Gen. 22. Quemnā exiſtimatis bono huic ſeniculo ex hoc præcepto inflictum fuiſſe dolorem, utpote qui nonniſi unicum tantum filium habens, adeò tenerè ſibi dilectum, ut ei eſſe videretur, ſicut unica oculorum ſuorum pupilla, eundem tamen Deo ſacrificare, imo & propriis manibus jugulare jubetur? Exiſtimo equidem quodvis in hoc præcepto contentum verbum, peculiarem feciſſe gladium, quo cor eius tranſverberaretur, nec montem conſcendendo tot greſſus formavit, quot è corde ſuo mœſto & affli-

afflicto emiſit profunda ſuſpiria; credo proinde, quod lacrymis ſuis copioſe rigaverit, quos eundo tranſiit ſtirpes & lapides; imò dolorem eius adeò exceſſivum fuiſſe, quod nullum admittere potuerit ſolatium. Etenim ô Abraham, qua ratione ad montis uſque verticem vivus pertingere poteris quin te mœror animi necet? aut quomodo qui mortuus potiùs, quàm vivus, *imo potius plane mortuus es, cùm ſpiritus vitæ tuæ Iſaac iam iam ſit moriturus*, domum redibis? quomodo ſine Iſaac, qui decrepitæ ſenectutis tuæ baculus eſt, regere aut gubernare te valebis? Etenim quidnam hoc quod præter omnem opinionem attonitus video? Abrahamne ridet? & cum lætitia & jubilo feſtinus ad montem procedit? Fortè mœror animi eum mentis ſuæ impotem fecit? Ne propriis quidem oculis fidem adhiberem: nam *Teſtis unus, teſtis nullus*, niſi S. Zeno ſuo quoque idipſum teſtimonio confirmaret, dum inquit: Abrahamum Iſaac ſacrificaturientem ſiccis ſemper oculis ſtetiſſe, non mœſtum, ſed lætum atque jucundum: *Ecce ſub oculis jacet filius vinculis adſtrictus, ubi ſunt lacrymæ? Vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſuevit? In tantis filiis caſibus lætatur & gaudet.* Mira profectò res, quod quando Abrahamus moriturus credebatur præ dolore, exultet præ gaudio, nullum ſentiat animi mœrorem, nec gravis ei ſit jactura filii, quin potius eundem trucidaturus inexplicabilem ſentiat conſolationē. S. Proſper Aquitanicus rationem adfert dicens: Deum Abrahæ revelaſſe quod hoc ſacrificium filii ſui futurum eſſet figura Paſſionis & mortis Salvatoris. Vnde egrediendo è civitate, videbatur ſibi videre filium Dei ex civitate Jeroſolymitana egredientem, reſpiciendo montem Moria, videbatur ſibi videre montem Calvariæ; in Altari quod ſtruxerat, crucem, quam Judæi erecturi erant, reſpiciebat; manus quidem filio ſuo alligabat, ſed in veſtibus illis præſignificabantur funes & vincula Salvatoris: in obediente Iſaac, innocentem conſiderabat crucifixum, quid igitur mirum, ſi nullum ſenſit dolorem, qui ob oculos mentis obverſantem habebat Chriſti Jesu Paſſionem & mortem? Ac proinde de hoc ſancto Patriarcha Hebræis dicebat: *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum*, Joan. 8 id eſt, quando ſtabat ſacrificaturus filium, vidit in ſpiritu paſſionis & mortis meæ diem; quem autem hæc viſio in eo effectum habuit: *Gaviſus eſt, quia vidit diē Paſſionis filii Dei in ſuo filio figuratam.* Idea etenim Paſſionis, quam ſanctus Patriarcha contemplabatur, erat quaſi quidam *Lapis Philoſophorum*, qui ferrum doloris transformabat in aurum lætitiæ & exultationis.

*D. Zeno Veron. ſermone de Abraham*

*D. Proſper*

4. Jacob adoleſcentulus Eſau fratris ſui perſecutionem fugiens, & Meſopotamiam verſus ſe recipiens, noctem quandam in campis transfigere coactus fuit, ubi domum nullam, imò ne vel tuguriolum quoddam circumquaque videns, in quod diverteret capiendæ cauſa quietis, coactus fuit feſſa membra ſua nudam ſuper humum ſternere, atque ſub dio & cælorum inclementia, poſito ſub capite ſaxo præduro, cervicalis loco, ſomnum capere; In profundiori autem ſomno conſtitutus, videre ſibi videbatur ſcalam quandam adeò ſublimem, ut à terra in cælum uſque pertingeret: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen illius tangens cælum:* Gen. 28 at vero quid ſcala hæc Iacobo referebat? S. Zeno idipſum dicat: *Scala* inquit, *proprio nomine crux vocatur, quia per ipſam IESVS Chriſtus miniſteria univerſa conficiens, & concludens ſalutem Adamo reportavit, & iter ad cælum omnibus ſe ſequentibus patefecit.* Verum, inquies, quo fine afflictio afflicto additur, crucis figurā ei demonſtrando, quæ eſſe debebat doloris patibulum? Cur non potiùs Iacob defatigato conſolationis cauſæ cælum apertum, & patula Paradiſi gloria exhibetur? Nequaquam id fieri expediebat, nihil etenim in hunc finem efficacius ipſa Salvatoris noſtri cruce & paſſione, ideoque Deus ad conſolandum afflictum, & deſolatum peregrinum, nullum cenſuit eſſe efficacius medium, quam ſit imago crucis, in qua omnes contemplari poſſet dolores, quos futurus Meſſias in ea paſſurus erat, hæc ſola efficax erat ad eum in ærumnis, quas patiebatur, conſolandum & reſtaurandum, quod in præſenti quoque caſu ſatis manifeſtè loquet. Cur enim terræ & lapidis capiti ſubſtrati non ſentit duritiem, Cur eum ſub dio dormientem aëris inclementia non offendit, Quomodo animo tranquillo dormire potuit, qui iracundi fratris ſui Eſau veſtigia tantopere formidabat? Membra habet languida, nec tamen ingemiſcit aut lamentatur, habet oſſa ex fatigatione quaſi confracta, nec tamen dolorem ſentit; imò à ſomno expergefactus dicit: *Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Geneſ. 28. quaſi diceret,

voluiſſe

voluiſſet, ſub hujus ſcalæ umbra cum ꝗ tanta animi tranquillitate & ſoporis ſuavitate dormivi, ut videatur mihi me in domo DEI, ſeu in paradiſo quietem cepiſſe. Vides igitur, quomodo figura crucis, quæ inſtrumentum fuit paſſionis Chriſti, huic ſervo Dei omnem amaritudinem in ſuavitatem, in commoditatem omnem paſſionem, omnemque ærumnam in gaudium commutarit: *hac igitur tam ardua quam ſereno perfert animo? Roboratur crucis aſpectu, in hanc enim ſimul ac convertit lumina, momentaneum ac leve indicaverit cujuſque tribulationis pondus.*

5. Electus Dei populus per territorium Edom peregrinabatur, & ad mare Rubrum accedens, in campo quodam deſerto & ſolitario, omniſque humanæ ſuſtentationi neceſſariæ annonæ experte ſubſtitit: dumque ſe famis neceſſitate premi ſentiret, nec quicquam
Num. 11. ſubſidii ſpem quam in hac urgenti neceſſitate invenire aut ſperare poſſet, ſimul congregati Hebræi Moyſen adire, hancque ei neceſſitatem verbis aſperis exprobrare decreverunt, prout re ipſa ab eis factum eſt, dum ajunt: *Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine* Quaſi diceret, itane, O Moyſes, nos tractas? ergone in hanc ſolitudinem nos eduxiſti, ut in ea præ laſſitudine & fame moriamur? Ignoſcat id tibi Deus, Eheu quam bene nobis erat in Ægypto. tu nos inde tuis promiſſionibus vanis ſeduxiſti, & illuſiſti, mereris utique acerbam hujus tuæ temeritatis vindictam: ubi eſt illa quæ Ducem decet providentia, in procurandis iis quæ ſuis ſunt militibus neceſſaria? Nos in exequendis præceptis tuis promptiſſimè tibi paremus, tu autem in miniſtrandis nobis vitæ ſubſidiis negligentiſſimus eſſe probaris: ſi quis hic vel oculum ipſum pro pane comparando pendere vellet, amicam quidem illius pro eo habere poſſet, ſi quis pro una aquæ ſtilla; integram ſanguinis libram vellet prodigere, vacuus cogetur abire. Nihil hic ad manducandum miniſtratur aliud, quam manna, quam præ nauſea vix videre ſuſtinemus, ex itineris prolixitate fracta ſunt corporis membra, adeo ut niſi aliquo ſubſidio reſtaurentur deperditæ vires, deficere cogamur, quod ne fiat, aliquid ſtatuemus, quod valde diſplicebit, cave ne experiaris: *Et tædere cæpit populum itineris ac laboris, locutuſque contra Deum & Moyſen ait, cur duxiſti nos de Ægypto ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo* Itane [ Dicit Deus ] ſiccine Moyſes ſervus meus tractatur? adeò modicus ei reſpectus defertur? tanta cum temeritate adverſus eum proceditur? *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*, qui ab oculis flammas, ab ore venenum evomentes; corpora invadebant Iſraelitarum, circumvolvebantur pedibus, brachiis collo, lumbis, eoſque venenoſis dentibus; mordentes plagas illis mortales infigebant, adeo ut atro livore tincti, velut mortui in terram prociderent. Divina autem clementia, Moyſis ſervi ſui precibus permota, ſubitò ſuggeſſit remedium, quo à ſerpentibus læſi ſuæ reſtitui poſſent ſaluti: *Fac ſerpentem aneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Dictum factum; Et ecce ſalvi facti ſunt omnes. Verùm, inquies, ergone poſſibile eſt *Ibid.* quod ſerpens aliquis in ligno quodam elevatus tanta ſit præditus virtute? Eja igitur literæ ſuperficiem tollamus, & apprehendamus ſubſtantiam medullæ: Tertullianus etenim lignum crucem, ſerpentem vero in eo ſuſpenſum, Chriſtum crucifixum figuraſſe dicit, quem à ſerpentibus intoxicati ſolummodo aſpicientes curabantur; ad ſignificandum, quod crucifixum ob oculos poſitum habere, conſiderando quanta pro nobis paſſus ſit, quot in ſua ſacratiſſima humanitate vulnera habuerit, quam copioſum ſanguinem effuderit, veriſſimum infirmitatibus noſtris tam corporalibus quam ſpiritualibus pellendis adferat medicamentum; adeoque dum in hanc myſticam ſanguinis & paſſionis Chriſti piſcinam ingredimur, liberemur, à quacunque detinemur infirmitate. Audite hoc Tertullianum propriis ſuis verbis pronunciantem, dum ait: Effigies ænei ſerpentis ſuſpenſi figuram deſignavit dominicæ crucis, quæ à ſerpentibus id eſt ab Angelis diaboli nos erat liberatura ] Sed clarius quidam modernus, ita explicat: Clarè indicat crucifixi meditationem, ac dolorem ejus recogitationem noſtrorum eſſe medelam criminum, noſtrorumque morborum; imo omnium fontem bonorum. *Tertul. de idolol. c. 5.* *Laur. de Aponte in Sap. Salomon hom. 72. c. 10. num 8.*

Idemmet populus Iſraeliticus integro triduo ardentem ſuſtinuerat ſitim, omnique adhibita induſtria ſcaturientem fontem aliquem vel noviter è terra elicere, aut jam manantem invenire contendebat, ſed irrito

prorſus effectu, tandem in Mara perveniens, aquam ibidem reperit tantopere deſideratam: unde populus ingenti cum ardore ad fontem manantem ſitibundus cucurrit, quilibet enim aridas ſuas reficere fauces deſiderabat, nonnulli manibus crateris loco, alii vero galea capitis utebantur, alii verò prono corpore, aperto ore fonti incumbebant, ſinguli ſingulos ſodales præ ſitis impatientia moliebantur antevertere; verum ô infelicitas inexſpectata, nam aquas inveniunt adeo amaras, ut ſe fel bibiſſe arbitrarentur, unde omnes deluſi & confuſi ab aquis receſſerunt, nil adeo cupientes quam ut os ſuum ejuſque amaritudinem eluere poſſent, nec tamen unde id facerent

Exod. 15. habere poterant: *Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ*, unde eidem loco, amaritudinis nomen impoſuerunt: *unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt amaritudinem.* Cœpit itaque populus cum Moyſe non ſine cholera loqui dicendo: *Quid bibimus?* Ipſe autem ad Dominum confugiens hoc tulit reſponſum, nimirum ut oſtenſum ſibi à Deo lignum acciperet & aquis immitteret, ſic enim futurum, ut ſubitò dulceſcerēt. *Qui oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt.* Verum inquies, quodnam eſt lignum iſtud hac virtute præditum? Quales ſunt hæ aquæ amaræ? Etenim ſi hujus mundi ærumnas & calamitates in dulcedinem transformare volumus, quid faciendum eſſe cenſes, Immittendum eſt iis lignum crucis, non tanquam nudum lignum, ſed ut quoddam Chriſti Ieſu paſſionem referens inſtrumentum. In hoc enim, velut in theatro quodam, doloroſa repræſentantur ſpectacula, ibi humanitas quædam videtur lacerata flagellis, ſpinis confixa, perforata clavis, lancea diſrupta & proprio ſanguine à vertice capitis ad plantam pedis uſque cruentata ô utinam in hoc lignum noſtras defigeremus cogitationes, haud dubie omnis infirmitatis vel alterius tribulationis aqua quantumvis illa amara eſſet, indulcoraretur: *Amaritudine dulceſcunt.* Eſt hic conceptus Cardinalis Ioan. Vitalis dicētis: *A ligno indulcoratæ ſūt*

Io. Cardin. Vitalis, verbo Crux. *aquæ quia nulla eſt tribulatio, quæ appoſito ligno crucis per memoriā & delectationē non dulceſcat.*

7. Zeloſiſſimus Carmeli Patriarcha & Propheta Elias, ut divino promptus pareret imperio, relicto torrente Carith, ubi aliquanto tempore à corvis paſtus fuerat, in Sarephtam Sidonorum abivit: ubi Deus mulieri cuidā viduæ præceperat, ut victus annonam ei ſubminiſtraret. Porrò S. Propheta in cæleſtis præcepti obſervantia, more ſibi conſueto, exactiſſimis ſe exhibuit: Subito enim receſſit, & Sarephtam verſus profectus eſt; Cumque vix ad urbis portas pertigiſſet, egredientem vidit mulierem quandam, quæ nonnulla lignorum fragmenta legens, humilis fortunæ ſuæ conditionem ſat teſtabatur, hanc igitur Elias acceſſit, ab eaque paululum aquæ ex charitate ſibi dari petiit: *Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam*, & mox ſubjungit, ut tantillum quoque panis ſibi ſubminiſtret, quantum extremæ ſuſtentationi ſuæ pro illo die ſufficeret: *Affer buccellam panis in manu tua*, illa autem ſe excuſabat dicendo, ingenti ſe paupertate premi, adeōque nullum ſibi præſto eſſe panis ſubſidium: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem*: & ſub eo ſubjungit: *En colligo duo ligna*: Quænam eſt hæc cōſequentia, quia non habeo panem, ideo colligo duo ligna? Cur tantum duorum lignorum meminit & non plurium? Exiſtimo mulierem hanc à Deo monitam, dum Eliam anguſtiatū eſſe vidit, eidem duo ligna in crucis formam diſpoſita exhibuiſſe, ut ipſe iis viſis, tanquam Propheta mox aſſequeretur myſterium, videlicet, ligna hæc quandam eſſe crucis figuram, in qua venturus Meſſias poſt amaram paſſionem moriturus eſſet; huncque aſpectum ligno ei futurum eſſe ſolatio & refrigerio, in quacunque eſſet ærumna aut miſeria: quaſi vellet inferre, inquit Rupertus Abbas Tuitienſis: *En colligo duo ligna, & meam conſolor inopiam, amplectens, crucis ligna, ut comedamus & non moriamur.* Quod ſi autem tanta energia figuræ inerat, quid deinceps de figurato dicemus.

8. Sacri Scriptores cauſam inveſtigant, cur filius Dei in ultima vitæ ſuæ periodo ſanctiſſimum Sacramentum ſub ſpecie panis & vini inſtituere voluerit. Et quidem non immerito alicui videri poſſet, quod cum hoc Sacramentum præ omnibus aliis rariſſimum ſit & nobiliſſimū, in aliaquoque nobiliori & præſtantiori materia inſtitui debuerit. Reſpondet autem S. Thomas id factum eſſe, quia Panis & vinum *magis confortant hominem*: vel *Panis & vinum quibus communius homines reficiuntur, ſic aſſumuntur in hoc ſacramento ad uſum ſpiritualis manducationis.* Sunt & aliæ ab eodem & aliis

aliis adductæ rationes, quas brevitatis cauſa pertranſeo Verum obſecro vos, dicite mihi, quidnam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum nobis repræſentat? Paſſionem Redemptoris. Unde Angelicus Doctor ait: *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus.* Idque ita à Chriſto inſtitutum eſſe credo, ut per hoc nobis indicaret, quod Paſſionem ſuam in hoc Sacramento contemplari, idem ſit, quod pro ærumnis noſtris ſufferendis aliquam confortationem, & refocilationem accipere, ad eum modum, quo homo ſpiritus animales ſibi per panem & vinum reviviſcere, membraque languida reſtaurari ſentit: vinum enim vim habet *Lætificandi*, panis autem *cor hominis confortandi* vim obtinet. Unde Franconius Abbas dicit: *Rectè in panis ac vini ſpecie celebrandum inſtituit myſterium paſſionis ſuæ, quia animas inenarrabili jucũditate lætificat, & omnem pœnæ doloris memoriam abſorbet.* Agedum igitur, ô anima tribulata, quod ſi mentem tuam ab ærumnis divexari ſentias, quid facis? Eccleſiam ingredere, & Paſſionem Jeſu Chriſti quæ in ſanctiſſimo Sacramento nobis omnibus conſideranda ob oculos ponitur, fervidè conſidera & expende, & mox tribulationum tuarum pondus tibi alleviari, idemque ſupportabile & ſuave fieri ſenties. Quod ſi ad humilis fortunæ conditionem dejectus es, cur animo linqueris? Mentem tuam in Domini Paſſionem firmiter figito, quæ in auguſtiſſimo Sacramento ſub Candidiſſimorum accidentium ſpecie abſconditur, & martyria afflictioneſque tuas haud ſecus evaneſcere experieris, atque prodeunte aurora diſparent tenebræ, & diluculum illuceſcere incipit matutinum. Unde Beatus Laurentius: *Paſſio paſſione vincitur, & cruciatus cruciatibus ſuperantur, dolorem ſervi, dolor lenit Domini.*

9. Nonnunquam intra memetipſum meditando conſidero, qua ratione fieri poſſit, quod lapides natura ſua aſperi & duri Sancto Stephano ſuaves viſi ſint & dulces: Et valde hac de re dubitarem, niſi Eccleſiam hujuſce veritatis ſcirem eſſe veridicam teſtem; dum ait: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*; Sed quomodo fuere *dulces*, ſi fuerunt lapides? Forſitan ideo quia pro eo tempore, quo in proprii ſanguinis mari navigabat, ad imitationem naucleri ad cœli portum oculum habebat defixum? ut proinde Lactantius Firmianus ſcriptum reliquerit: *Eadem ratione hanc vitæ viam quærere oportet, qua in alto iter navibus quæritur.* Et ut Poeta quidam egregiè cecinit: Lact. Firm. l. 6. Inſtit c. 8.

*Æquora qui fragili ſulcat malefida carina* Iac Bill. l. 1. Anthol. 5 f. 7.
*Quid, curſum ut teneat, nocte ſilente facit?*
*Pervigilat, cælum tendit ſua lumina, ſidus*
*Spectat & in boreo juge quod axe micat.*
*Quiſquis iter vitæ ſequeris vitæque perennis,*
*Ne tua ſine terræ lumina fixa cave.*
*Semper ad æthereas ſublimis vertice ſedes*
*Conſpice ſic tutum latus habebis iter.*

10. Porro Sanctus Stephanus oculos ſuos à cælo nunquam divertit, prouti ipſemet idem fatetur dicens: *video cælos apertos.* Beda autem hunc dulcem lapidum ſaporem non Cælorum aſpectui, ſed viſioni filii Dei attribuit; Nam Stephanus pauló poſt ait: *Et Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Sed quomodo aut in quonam corporis ſitu illum ſtare vidit? Brachiis in Crucifixi formam expanſis, prouti in monte Calvariæ in Cruce pependit, quinque ei Sacratiſſimæ humanitatis ſuæ vulnera pariter commonſtrando. Viſio vere beata, viſio confortatrix hæc dici meretur, utpote quæ ipſos quoque lapides indulcorare valet, & mira quadam ſuavitate imbuere ipſa etiam tormenta novit: *Ad confortandum ergo Beati Martyris patientiam, cæleſtis regni janua panditur, & ne innoxius homo lapidatus titubet in terra, Deus homo Crucifixus apparet coronatus in cælis.* Beda in c. 7 Act. Apoſt.

11. Incarnatus Deus noſter, qui ad ſubveniendum neceſſitatibus noſtris adeo ſemper benignus fuit & pius, clementer nos exhortatur, ut in omnibus ærumnis noſtris tutum & ſecurum ad ipſum habeamus confugium, ſibi namque cordi futurum, ut de modo efficaciter nos conſolandi ſollicitus ſit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos* Verum ô Domine Calamitatum humanarum tantus eſt tamque ingens numerus, ut nec lingua eas recenſere, nec calamo illas deſcribere valeam, & tu nihilominus omnes illas mitigandi atque tollendi vim curativam te habere conſidis? *Sunt enim hominum mala innumera quibus* Matt. 11. Paul. de Pal. in c. 11 Matth. fol. 475.

*torquentur, quomodo tu illis omnibus medeberis?* inquit Paulus de Palatio. Itane? Ergone Deus universale quoddam habet antidotum, quod universis malis noſtris adhibet, & lenitivum quoddam cunctorum dolorum noſtrorum curativum? Nunquid audis Chriſtum id ipſum tibi ſumma cum benevolentia offerentem? *Tollite jugum meum ſuper vos*; Et quidem licet Rabanus per hoc jugum Evangelium intelligat: *Iugum Chriſti eſt Evangelium quod Iudæos & gentes in unitate conjungit, & ſociat:* nihilominus Ludolphus Carthuſianus dicit, quod Chriſtus per jugum illud Crucem ſuam intelligat: *Iugum Crucis ſeu mortificationis.* Quaſi vellet dicere: Quotieſcunque vos à mundanis adverſitatibus auguſtiatos eſſe videbitis: *Tollite jugum meum*; apprehendite Crucem meam, eamque ſemper ob oculos veſtros tenere. Quod ſi vos videritis derelictos ab amicis & parentibus, memores eſtote, quod & ego in hac cruce, tot inter dolores conſtitutus, dixerim: *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Si dura vos affligat paupertas, conſiderate qualiter in hac Cruce plane nudus pendeam: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea.* Quod ſi nonnunquam febribus vexati, ad impatientiam redigimini, nec poſſitis eos, qui in cunctis corporis partibus vos torquent, ſuſtinere dolores, recogitate quod ego in hac cruce ſumma cum patientia ſenſerim & tolerarim ſpinas, verticem & frontem meam crudeliſſimè transfigentes, clavos manus & pedes meos perforantes, adeo ut nulla fuerit pars corporis mei, quæ à tormentis immunis remanſerit, & lacerata non fuerit: *A planta pedis, uſque ad verticem capitis in me non erat ſanitas.* Si fortaſſe per neceſſitatem omnibus ſitis fortunæ bonis nudati, adeo ut ne vel unicum aquæ hauſtum habere valeatis: Ego in hac cruce præ ſiti moriens (licet aliis moribundis aliqua indulgeri & miniſtrari ſoleat refocillatio) ne vel unicam aquæ ſtillam impetrare potui, imo ut me vehementius torquerent aceti & fellis amaritudine, palatum meum vehementius amaricarunt: *Dederunt vinum bibere felle mixtum*: Si ab aliis verbis injurioſis proſcindimini, in memoriam vobis revocate, qualiter ego ab Hebræis illuſus, contumeliis & blaſphemiis graviter impetitus fuerim: *Prætereuntes blaſphemabant dicentes: vah qui deſtruis templum Dei*: & tamen abſque ulla mei commotione aut animi indignatione, licet hanc adverſus ipſos juſte potuiſſem concipere, æternum Patrem meum, ut illis noxam hanc dignaretur ignoſcere, inſtantiſſime ſum deprecatus: *Pater dimitte illis, non ſciunt quid faciunt.* Agedum igitur: *Tollite jugum meum.* Menti veſtræ ea imprimatis tormenta, quæ in hac Cruce pro vobis ſuſtinui, ſic enim omnia reddentur amabilia & levia, & in hunc modum: *Ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus veſtris*; Omnis amaritudo vobis in dulcedinem commutabitur, & omnis mœror in gaudium. Hæc eadem Chriſti promiſſio etiam confirmatur per ſequentem D. Gregorii Papæ doctrinam, dicentis: *Si Paſſionem Domini ad memoriam revocemus, nihil eſt tam durum & amarum, quod non æquo animo toleremus.*

12. Quando Hebræi ſanitatem alicui infirmo à cæleſti medico obtinere volebant, eundem non prius quam ſol occubuiſſet coram eo adducere ſolebant: *Cum Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum.* Sed cur ad Solis occaſum uſque expectabant? cur non potius occumbentem ſolem prævenicbant ut infirmos ſuos adducerent? opportunius namque tempus matutinum diluculum vel ortus Solis videri potuiſſet: Scio equidem quòd Origenes reſpondeat: *Ideo quidem circa Solis occaſum id eſt, elapſa die illos educebant, quia verecundabantur, vel timebant Phariſæos, vel quia de die intenti erant circa alia, vel quia putabant non licere curare in Sabbatho.* At vero Guilielmus Pariſienſis myſticè hunc paſſum exponens, per occumbentem Solem Chriſtum inter tormenta moribundum & exſpirantem intelligit, per infirmos autem omnes illos, qui variis afflicti ſunt ærumnis mundanis, à quibus liberari deſiderant; hi enim convertuntur ad Solem ad mortis occaſum tranſeuntem, & inter tenebras ſeſe occultantem, quando *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*; hunc inquam cum attentione reſpiciunt, & tanquam aquilæ generoſæ ſuum in eundem figunt obtutum, non jam in curru à Phaetonte vectum & flammas inter rutilantem, ſed in Cruce ſuſpenſum, in Paſſionis mari ſubmerſum, & proprio purpuraſcentem ſanguine; Et quidem opinione mea optimo idipſum conſilio faciunt, eo ipſo enim quo infirmos ſuos ad Je-

ſum

Rab. ap. D. Tho. in Cat. ibid. fol. 49 c. l. 4 l. C.

Ludolph. Cart. p. 1. c. 58 f. 237 col. 2. l. 1.

Marc. 15.

Joan. 19.

Iſa. 1.

Ibid.

Matth. 27.

ſum Crucifixum convertunt, ſecuros illos eſſe jubeo, liberandos eos eſſe, *à quacunque detinea ntur infirmitate.* Aut ſi ſecuritatem à me illis datam inſufficientem eſſe exiſtimant inſufficientiam meam præcitatus ſupplebit Pariſienſis, qui ait: *Solis occaſus rectè deſignat Chriſti Paſſionem & mortem, in qua curavit multos ab ægritudine infirmitatis.* Et quidem quamnam exiſtimatis cauſam fuiſſe quod verbum incarnatum ſuis dixerit Apoſtolis, antiquos Patriarchas, Prophetas, veluti Danielem, Jeremiam, Zachariam & alios adeo fuiſſe atrocibus tormentis ſubjectos, ut ipſorum martyria cum Prophetarum paſſione & morte comparata conſolationes potius & gaudia quam martyria vocari meruerint: *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiiſtis,* quaſi diceret: vos dilecti diſcipuli faciliimo prætio cœlum vobis comparaſtis & porro comparare pergitis, ſine tormentis nimirum & ſine doloribus, haud ſecus illud habetis ac ſi liberali vobis dono datum fuiſſet, antiqui Prophetæ autem illud ipſum gravi ſumptu, id eſt ſanguinis ſui moneta ſibi comparare debuerunt. Ad me quod attinet, libenter inſufficientiam fateor, quod ſcilicet Chriſtum hoc loco loquentem minimè intelligam. Quis enim Sanctis Apoſtolis plus paſſus eſt carceres, perſecutiones, ignes, præcipitia, excoriationes, gladios, equuleos, Cruces? ecquid autem requirebatur amplius? qua igitur ratione dici poteſt quod non de ipſis, ſed de antiquis Dei ſervis vere & realiter dici poſſit, puod tranſierint *per ignem & aquam?* Imò plane contrarium dicendum eſſe videtur, ſiquidem plus paſſus eſt unicus tantum Apoſtolus, quàm omnes antiquæ legis martyres. Unde opportune me replicare poſſe arbitror cum Doctore quodam moderno Carmelitano, quod *Nulla lingua dicere ſufficit tot perſecutiones, tot exilia, tot flagella, tantum famis, tantum ſitis, tot rotas, flammas, neces & tandem tot tormentorum genera, quæ Apoſtoli conculcarunt; nil enim majus Patres antiqui potuerunt perferre.* Quo igitur eum fundamento Salvator noſter illos non laboraſſe, aut quicquam paſſos fuiſſe dicit? *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiiſtis.* Veruntamen dum verba & mentem Salvatoris accuratius conſidero, veritatem illorum nimis fundatam eſſe comperio, vere enim Apoſtoli in Martyriis ſuis non tam paſſi quam gaviſi & lætati fuere. Imò ô Apoſtoli, gaviſi eſtis in paſſionibus veſtris, quia quando carnifices parabant tormenta & ſupplicia, vos confeſtim Paſſionem & mortem Magiſtri veſtri ob oculos mentis velut limpidisſimum ſpeculum ponebatis, illamque ſpeciatim per ſingulas occurrentes circumſtantias meditando conſiderabatis. Tu idipſum omnium aliorum nomine fatere, ô Andrea; ſi tibi Crucem ſubire amarum & pœnoſum fuiſſet, illam utique tanto cum gaudio & exultatione non ſalutaſſes, nec ad ſupplicium properaſſes cum tanto cordis tui jubilo, *ſecúrus & gaudens*; illam namque Crucem aſpiciendo, illos mente tua concipiebas dolores, quos Magiſter tuus in ea ſuſtinuit, ideo de illa dicebas *de membris Domini ſuſcepiſti decorem, &c.* atque ideo facta eſt tibi ſuavis & dulcis, deſiderabilis item & delectabilis. O *bona crux diu deſiderata, ſuſcipe diſcipulum ejus.* Quid igitur mirum quod filius Dei ſuis dixerit Apoſtolis: *Alii laborarunt, & vos in labores eorum introiiſtis.* Agedum igitur, ô Auditores, veſtri quoque labores ſuaves fient & leves, ſi ob oculos veſtros ſemper ſtatueritis à Chriſto in pas ſione ſua perpeſſos dolores, quo ſolatio præteritorum ſæculorum Patriarchæ & Prophetæ frui minimè poterant. Vnde idem Carmelitanus qui ſupra ait: *Patriarchæ pertulerunt perſecutiones ſine exemplo Chriſti, pariter cum eis dolores mortis ſuſtinentis, & ideo eorum preſſura graviſſima fuerunt: At Apoſtoli ſuos cruciatus ſunt amplexi Chriſto comite, & ſimuliſta patiente, hac proinde valde ſuaviſſimi & perjucundi fuerunt.* *Sylveira ubi ſup. fol 193. c. 1 num. 291.*

13. Quærunt circa hodierni Evangelii textum ſacri expoſitores, unde virtus illa quam aqua piſcinæ ad conſolandos & curandos infirmos ab infirmitatibus ſuis habebat, proceſſerit? Naturalis etenim eſſe non poterat, tunc enim eandem qualitatem quovis tempore habitura fuiſſet. Ludolphus Carthuſianus, qui quoſdam alios idem ſecum opinantes recenſet, dicit, aquas illas fuiſſe reliquias illarum aquarum, quibus victimæ immolandæ lavabantur? at vero ut optime Toletus arguit, ex quo ipſæmet victimæ: *Non habebant talem virtutem, nec aqua in templo, in qua lavabantur* Multi cum Petro à Natalibus affirmant, in fundo piſcinæ illius fuiſſe lignum illud, quo Hebræi uſi ſunt pro Cruce Chriſti fabricanda, & ab hoc ligno originem ſuam traxiſſe hanc aquarum virtutem, quam habebant ad curandos infirmos. Et quidem tametſi

*Ludolph. Car. p. 1. c. 77. fol. 18. col. 1. Tolet. ibi. fol. 425. ad not 4. Pet de Natal in Invent. S. Cruc.*

*Ludolph. ubi ſup. Dio Cart. n c. 5. Io. a. 13 f. 176 coloz.*

Cardinalis Toletus hanc rationem non approbat, ego tamen eadem utor, eo vel maximè, quod illam quoque ſupradictus Ludolphus Carthuſianus, utpote amicus Dionyſii ejuſdem inſtituti Profeſſoris ſuſtinuit, dum ait: *ſed cur Dominus tantam reverentiam & virtutem contulit huic aquæ? Ad hoc aliqui dicunt, quod propter Lignum Dominicæ Crucis quod in ea, nataſſe, & circa Paſſionem enataſſe affirmant.* Neminem autem adeo imperitum & ſtolidum futurum eſſe perſuadeo, qui lignum iſtud hanc aquis virtutem communicaſſe credat, in quantū lignum erat, ſed potius in quantum erat tale lignum, quod paulò poſt velut præcipuum Paſſionis Chriſti inſtrumentum ſervire debebat. Quod ſi igitur nudum aliquod Paſſionis Chriſti futuro tempore adhibendum inſtrumentum per virtutem aquis collatam, omnes infirmorum corpora affligentes dolores pellere poterat, quanto magis ipſimet Salvatoris noſtri Paſſioni prærogativa hæc attribuenda erit? Quiſquis enim in hanc myſticam piſcinam cordis ſui cogitationes firmaverit, nullam deinceps percepturus erit infirmitatem, quæ eum moleſtet, vel quæ eum affligat, adverſitatem; *Motus ergo aquæ Paſſionem Domini, quæ morâ turbatâque Iudæorum gente facta eſt, inſinuat; & quia per eandem Paſſionem redempti ſunt credentes à maledicto legis, quaſi deſcendentes in aquam piſcinæ, turbata ſanabantur, qui eatenus jacuerunt in porticibus ægroti*, inquit Beda.

*Beda in c. 5. Io f. 42. cap. 1.*

14. Quid plura? Paſſio Chriſti in terris nos beatos efficit, hac nimirum ratione. Nos etenim ad Dei cognitionem elevat, eo ſaltem modo cujus tanquam viatores capaces ſumus, & ſicut Beati in cœlo, vel ex eò quod Deum videant, nullam percipiunt pœnam aut dolorem, licet in flammis conſtituti eſſent, aut actuali afficerentur martyrio, quia ibi *Non erit amplius neque clamor, neque dolor*, ita quoque idem de iis verificatur, qui dum in hoc mundo anguſtiantur, Chriſti cruentam & amaræ Paſſioni ſubjectam humanitatem pro objecto habent. Pro cujus faciliori intelligentia, quandam vobis adducere cogor doctrinam Theologicam, hanc nimirum quam Theologi unanimiter tradunt, quod ſcilicet intellectus creatus ex ſemetipſo & naturæ ſuæ ſolis viribus inſufficiens ſit ad videndum Deum per eſſentiam, ſed hoc ſine lumine gloriæ indigeat, quo elevetur & confortetur ad Deum clarè & quidditativè videndum: Porro nobis qui, quoaduſque in hac vita ſumus, ſedemus in tenebris, & inter mortis umbras habitamus, impoſſibile eſt quod videre Deum poſſimus, ob ingentem diſtantiam, quæ eſt inter noſtram potentiam intellectivam & objectum beatificum, quod eſt Deus: atque ideo quamdiu viatores ſumus ad hoc ut eum in hoc mundo videre valeamus, eo modo quo id nobis poſſibile eſt, lumine quodam opus habemus, quod intellectum noſtrum objecto divino proportionatum reddat; hoc autem lumen à Chriſti Jeſu crucifixi Paſſione accipimus, adeo ut mihi cum quodam Moderno dicere liceat: *Hic noſter Chriſtus crucifixus eſt noſtri lumen gloriæ; hæc ſanctiſſima de illo meditatio priùs nos corroborat, confortat & ſublevat.* Punctū iſtud velut antecedens quoddā prius probemus, ac tum demum aptam inde ad noſtrum propoſitum deducemus conſequentiam. Prætereo autem in præſentiarum id quod S. Pater noſter Auguſtin. aſſerit, ſcilicet Paſſionem Redemptoris compendium quoddam eſſe Divinitatis: *Beatus ac beneficus Deus particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit percipiendæ Divinitatis ſuæ*, adeo ut in Paſſione Chriſti velut in compendio ſuam videamus Divinitatem, Hoc inquam prætereo, & ad ſequentem hiſtoriam me reflecto. Etenim Salvator noſter in monte Thabor à tribus diſcipulis Petro, Iacobo, & Joanne aſſociatus erat, nec non à duobus veteris Teſtamenti illuſtribus viris Moyſe nimirum & Elia qui ut ait Damaſcen. *tanquam famuli aſſiſtunt Domino in gloria* Verū enimvero attentos vos hoc loco eſſe volo ad conſiderandum mirum quoddam quod Apoſtolis accidit Parodoxum; De iis namque S. Lucas atteſtatur, quod cum oculos ſuos apertos tenere non valerent ut pote quos ſomno gravatos habebant, tandem eoſdem claudentes paulatim obdormierint. *Petrus vero & qui cum illo erant gravati erant ſomno* Porro Dionyſius Carthuſian. ſomnum iſtum valde miratur dicens: *Mirum quod tam cito obdormierūt*, Et merito quidem, quia ſi Chryſoſtomo credimus non erant tibi tempore noctis: *Neque enim tempus nocturnum erat*, potius ut ita dicā, toto vitæ ſuæ tempore ipſis dormiendum erat, ut in hac occaſione tanti videndi ſpectaculi vigiles eſſe potuiſſent. Quid enim diceretis de eo qui à Principe aliquo in ſuam Gazam ad theſaurum ſuum ei exhibendum introductus,

*Apoc. 7.*

ctus, eo tempore quo præſtantisſimæ ejus exponuntur divitiæ, oculos clauderet & ſomno indulgeret, id quod hiſce videtur accidiſſe diſcipulis S. Joannes Chryſoſtomus id factum eſſe affirmat, quia adeo ingens & intenſus erat ſplendor divinitatis è verbo incarnato dimanans, ut impoſſibile iis fuerit fixum in eundem & irretortum figere obtutum: *Lucis excellentia gravabat eorum infirmitatem.* Et S. Ambroſius idem opinatur, dum ait: *Prevenit enim incomprehenſibilis ſplendor divinitatis noſtri corporis ſenſus: Nam ſi ſolis radium è regione oculorum contuentium corporea nequit acies ſuſtinere, quomodo Dei gloriam humanorum ſenſuum corruptela membrorum.* Verum inquies, nunquid etiam Moyſes & Elias ibidem aderãt? quomodo igitur id ſolis Apoſtolis non vero illis accidiſſe dicitur? Neque enim illos in ſpiritu tantum, ſed in forma corporea & viſibili ibidem comparuiſſe exiſtimo: Nunquid gloria divinitatis verbi æquè improportionatum objectum erat Moyſi & Eliæ, ſicut Apoſtolis erat? Unde igitur hæc inter illos naſcitur diverſitas? Obſervaſtine aliquando qua de re Moyſes & Elias cum Chriſto fuerint collocuti? *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem*: Id eſt, ut explicat Sanctus Cyrillus: *Dicebant exceſſum, videlicet ſalutiferam paſſionem complendam in veneranda Cruce.* Unde ſacer Evangeliſta non refert diſcipulos horum diſcurſuum fuiſſe conſcios, ſed ſolos Eliam & Moyſem: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo.* Dum igitur hi de Chriſti Paſſione ſermocinando eandem quoque meditati fuerint, conſequenter eiſdem ſervivit loco luminis gloriæ, ad hoc ut divinitatis radios in vultu Filii Dei emicantes facie ad faciem valerent aſpicere: Apoſtoli autem qui non audiverant loquentes *de exceſſu*, id eſt *de Paſſione*, nullam de eadem quicquam cogitandi vel meditandi habuere occaſionem. Unde hoc lumine carentes ſuum in divinitatis ſplendores obtutum figere non potuerunt, atque ideo *gravati erant ſomno.* Demum verum conceptum hunc Modernus quidem concludit dicens [ Hinc iſti radii eis cauſa illuſtrationis, perſpicacitatis, ac amplioris majeſtatis fuere, at Petrum qui nihil de Paſſione, nihil de Cruce cogitabat, qui ad divinitatem aſſurgebat, non per Chriſti ſanguinem, non per crucifixi meditationem, illi radii divini, illi ſummi fulgores, illum potius hebetabant quam acuebant.

Chryſ. ib.

D. Ambr. in Luc.

D. Cyril. in cat.

D. Tho.

15. Quamnam exſtimatis cauſam fuiſſe, O Auditores, quod Hebræi Salvatorem tanquam Deum nunquam cognoverint ad eum modum quo illum Chriſtianus cognovit? Cum tamen illis potius accidere debuiſſet contrarium, utpote qui tot viderant ab eo patrari miracula, eaque omnia in beneficium & favorem ipſorum: Pro hujuſce difficultatis intelligentia, neceſſum erit, ut illas quinque vulnerum Chriſti, quinque porticus nonnihil penitus ingrediamur. Porrò Sanctus Hieronymus Chriſtum librum quendam fuiſſe dicit, qui in veteri teſtamento ſcribebatur ſine punctis, vocalium in loco ſervientibus; atque ideo eſt, quod librum hunc in veteri lege difficulter potuerint capere, niſi fortè Magdalena aliqua, vel aliquis Nicodemus, & pauci alii: at verò poſtquam Dei filius eſt crucifixus, & liber hic punctuatus eſſe cernitur, per clavos, per lanceam, & per ſpinas, facillimè ab omnibus capitur & intelligitur: puncta enim, id eſt, vulnera per clavos & lanceam humanitati Chriſti inflicta, velut lumen quoddam beatificum ſerviunt ad videndum & cognoſcendum illum eſſe verum Deum. Nunquid audis Centurionem dicentem. *Vere Filius Dei erat iſte.* Nunquid auſcultaris latronem qui ait: *Nos quidem digna factis recipimus; hic autem quid mali fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Et conſequenter quilibet Chriſtianus qui hunc librum legit punctis ſacratisſimorum vulnerũ inſignitum & diſtinctum ad reconditisſimorum myſteriorum magni Dei aſſecutionem pertingit: *Difficillime hujuſmodi liber ſine punctis intelligebatur; in crucem vero actus Chriſtus Dominus noſter eique ibidem additis lanceæ, clavorum & ſpinarum punctis, liber clarè deſcriptus, & facillimè intelligi in novo extat noſtro teſtamento.*

*D. Hier. ap. Octavianum Spatarium pag. 2. concl. 53. Dom. Paſſ. fol. 160. col. 1. l. 6.*

*Marc.* 15.

*Luc.* 23.

*Octav. ſpatar. ib.*

6. Diſcipuli Chriſti quoad Sacroſanctam ejus Reſurrectionem variis inter ſe opinionibus disſidebant, quia tametſi omnes & ſinguli illum firmiter crederent, & conſtanter confitentur, dicentes: *Vidimus Dominum*: Thomas tamen quoad hoc punctum proteſtabatur ſe adeo facilem non eſſe in adhibenda fide iis quæ percepiſſet auribus, niſi idipſum ſuis quoque oculis perſpexiſſet; quaſi dice-

*Ioan.* 20.

dicere vellet, fruſtrà id mihi perſuadere conando laboratis, quia firmiter decretum eſt mihi, quod rem adeo difficilem ad credendum niſi videro *non credam*. O bone Thoma, videris mihi quoque cum Apoſtolis in monte Thabor oculos habere infidelitatis ſomno valde gravatos, quantum video, tu librum vulnerum vocalibus punctuatum nondum vidiſti aut legiſti: Confeſtim verò ut manum ſuam vulneribus ſacratisſimis immiſit: *Infer digitum tuum huc; mitte manum tuam in latus meum, &c.* evanuerunt tenebræ ab oculis ejus, & divinitatis myſteria perſpicue intellexit, & à beneficio quod ab hiſce vulneribus accepit, lumine illuſtratus recognovit humanitatem dicens: *Dominus meus*, non tamen ſine Divinitate, & ideo addidit, *& Deus meus*, atque è veſtigiis pasſionis quæ in Chriſti apparebant humanitate, ulterius ad contemplationem penetravit divinæ eſſentiæ, eo modo quo oculus vel intellectus viatoris ejus capax eſſe noſcitur: *Dominus meus & Deus meus*. Audite quanta cum claritate & emphaſi ea quæ hactenus diximus, Euſebius exponat; dum ait: *Neceſſarium enim erat, ut manifeſtarum præſens expresſio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem: quia ſplendor nova lucis priſtinam obduxerat veritatem & agnitionem quodammodo claritas obſcuraverat; viſis ergo cicatricibus reſpondit Thomas dicens: Dominus meus & Deus meus Novo genere veſtigia vulnerum divinitati præbent teſtimonium.* Vulnera hæc ſunt quinque illæ porticus ad ſalutem quorumlibet infirmorum apertæ & patulæ Unde bene Poeta cecinit.

Euſeb. de Paſch. Hom. 9.

*Pharmaca ſunt potius, quàm vulnera, vulnera Chriſti.*
*Curat enim plagis vulnera noſtra ſuis.*

Lib. 3. 94.

17. Verùm enimvero unde naſcitur quòd nos neque ex vulneribus, neque ex pasſione Domini aliquam in nos dimanare experiamur utilitatem? Ex ſolo defectu ſufficientis conſiderationis. Non quidem nego, quod in oratione mentali ad vulnera & Pasſionem Chriſti nos ſæpe numero reflectamus, ſed an id fiat *per modum tranſeuntis*, vel *per modum permanentis*, neſcio; hoc tamen ſcio, quod dum ad pia illa objecta vix te applicuiſti, mox cogitationibus tuis ad alia divertas: Nondum per conſiderationem ſuper uno vulnere te firmare incepiſti. quin mens tua ſtatim extravagetur ad alia negotia: Tu in nullo ab Hebræis differs, qui crucifixum per modum tranſeuntis reſpiciebant. *Prætereuntes*, ideoque illum etiam blaſphemiis conviciabantur: *Prætereuntes blaſphemabant*: Centurio autem qui *per modum permanentis* illum contemplabatur: *Centurio autem qui ex adverſo ſtat*, cognitionem veri Dei & ſalutem animæ inde eſt aſſecutus *Vere hic homo filius Dei erat.* Abbas Stephanus continuo fixum in eum tenebat oculum, & immobilem cogitatum ſuum: *Die noctuque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum Ieſum Chriſtum in cruce pendentem.* S. Pater noſter Auguſtinus qui crucifixum *per modum permanentis* meditabatur, expreſsè proteſtatus eſt dicens: *In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti in quibus dormio ſecurus & requieſco intrepidus.* S. Bernardus ab amato Crucifixo ſuo cogitationes nunquam deflectebat, atque ideo ab eius vulneribus dulcedinem eliciebat inexplicabilem, adeo ut ex nullo objecto majorem ſe conſolationem fateretur accipire quam ac illis *Per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo puriſſimo; id eſt: guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Sancta Catharina Senenſis in dæmonum infeſtis inſultibus, nullum habebat ſecurius refugium, quam plagas & vulnera crucifixi: *Fiducialiter*, dicebat, *latitabo in plagis Domini mei Ieſu Chriſti.* Nebruta animantia interirent tempore diluvii univerſalis, præcepit Deus Noe ut introducerentur in arcam: quod ſi nos, qui Deum offendendo, ipſiſmet ſumus beſtiis deteriores, velimus, ut in immisſis nobis à divina juſtitia ſuppliciorum diluviis, ab iiſdem maneamus ſecuri, ad myſticam recurramus crucifixæ humanitatis arcam, ibi namque in vulnere lateris portam inveniemus apertam; atque ideo ut S Pater noſter Auguſtinus accuratisſimè ponderat, S. Ioannes Evang. non dicit *Lancea latus eius percusſit, ſed aperuit: ut illis, id eſt, peccatoribus quodammodo vita oſtium panderetur* Hæ ſunt civitates refugii in quibus cõtumaces à divina juſtitia ſalvũ inveniunt conductum dummodo mente ſua in una earum commorentur *Iuſtum refugium vulnera Salvatoris*, dicebat Auguſtinus. Quænam uſpiam in mundo amaritudo reperiri poterit, quæ Sacroſanctis hiſce vulneribus immiſſa non dulceſcat: *Omne aſperum intinge latus meum & erit tibi dulce* monebat Chriſtus apud Laurentium Iuſtinianum. Unde Beatus Eleazarus voluntati ſuæ nul-

nullam indulgebat aliam habitationem, quam quinque horum vulnerum porticus; cui propinde in remotis regionibus abſenti cum à dilecta conjuge, quæ ſine ejus præſentia vivere non poterat, ut quantocius reverteretur, per literas nuntiatum eſſet, ipſe literis ad eam miſſis quantocius inter cætera hunc in modum reſpondit: *ſanus ſum corpore & ſoſpes, quod ſi videre me cupis, quare in vulnere lateris, Chriſti ibi habito, ibi poteris me invenire, fruſtra alibi quæſitura.* Ecquando unquam Beata noſtra Clara de monte Falco per tantillum temporis à meditatione Paſſionis Chriſti aliena erat? utpote quæ non contenta illam ſemper ſibi ob oculos habere propoſitam, eam inſuper unà cum omnibus ab Paſſionem Domini concurrentibus inſtrumenta cordi ſuo habebat impreſſam & inſculptam, prouti in ejus corde in hodiernum uſque diem non ſine ſtupore videre licet. Verumenimvero ex quo de Paſſione & vulneribus Salvatoris noſtri loquimur, per eadem vulnera & ſacratiſſimam Redemptoris noſtri infuſionem vos obteſtor, ut tot miſerabilibus pauperibus languentibus, & præ neceſſitate tantum non pereuntibus compati dignemini, cum enim neminem habeant, qui ſubveniat, meritò dicere poſſunt: *Hominem non habeo*, ſubvenite igitur iis per Eleemoſynas, copioſam enim a Deo mercedem inde haud reportabitis.

## PARS SECUNDA.

18. Hactenus de Piſcina, & de Porticibus, id eſt, de Paſſione & ſacris Chriſti vulneribus locuti ſumus; ſupereſt ut de cruentis Piſcinæ aquis loquamur, in quibus nobis repræſentatur ſanguis pro noſtra redemptione effuſus qui peccatorum animabus non minus, imò incomparabiliter magis fuit & eſt ſalutaris, quam olim cœcis, claudis, Paralyticis & fuerint aquæ piſcinæ probaticæ. Cœlius Rhodiginius refert firmam fuiſſe apud antiquos opinionem, quod ſi infirmus biberet de ſanguine manante ex vulnere quodam hominis ad mortem uſque ab adverſario ſuo vulnerati, ſanguis talis pro morbi ſui curatione opportunum futurum eſſet remedium: *In arena jugulatorum nocentium ſanguinem recentem de jugulo decurrentem avida ſiti ſolitum hauriri, quod ſic comitiali morbo remedia quæri opinarentur.* Sive idipſum fabuloſum ſit, ſive verum, hoc ſaltem certiſſimum eſt atque veriſſimum, quod ſanguis Redemptoris applicatus, ſalutaris & medicinalis ſit cuicunque demum infirmitati; unde ſi mæſtitia cor tuum opprimit, adeo ut ne tranſeunter quidem ulla in vultu tuo lætitia comparere poſſit, reſpice roſeum hunc & rubicundum ſanguinem; Nam ſi Hannibal Carthaginenſis foſſam quandam humano ſanguine plenam videns, eandem cũ delectatione aſpexiſſe & dixiſſe fertur: *O pulchrũ ſpectaculum!* O quanto majorem in cordibus noſtris lætitiam cauſabimus, ſi mente nos contemplati fuerimus ſanguinem illum pretioſiſſimum pro nobis in cruce effuſum! ac proinde reſpice illum, illum penitius & intimius conſidera, ſic enim experieris: quòd gaudio & lætitia plenus continere te non poteris, quin exclames *O pulchrum ſpectaculum.* Areſ. lect. 23. n. 12.

19. Quantumvis igitur infirmi, qui in piſcinæ aquis abluti, ſpiritus vitales revivicari, & conſolidari membra ſua ex improviſo percipiebant, ſummo cum gaudio & lætitia cordis ab eadem piſcina recedebant, utpote ab omni, qua detinebantur infirmitate liberati, majorem tamen gaudendi cauſam habent, qui è piſcina cruoris JESU CHRISTI ritè abluti egrediuntur, quia prodigia longe magis ſtupenda ab hoc, de quo loquimur, ſacroſancto ſanguine patrata fuiſſe inveniuntur, præcipue quod attinet animas deſperatas ad ſpem ſalutis æternæ revocandi effectum. Berithi, quæ eſt civitas Phœniciæ, Anno 765. ſequens accidit prodigium: Hebræi namque imaginem quandam Chriſti in celatura quadam expreſſam, in domo cujuſdam Judæi invenientes, Chriſtum in eadem imagine crucifixerunt, omnesque quas antiqui Judæi Redemptori noſtro intulerant injurias, renovarunt. Dum autem lancea latus ejus vulnerarent, confeſtim egreſſus eſt ſanguis & aqua, quod videntes, ampullam quandam ex eodem cruore impleverunt, experiri volentes, an patrata à Chriſto miracula vera eſſent, an apparentia tantum. Quid fit? multos itaque infirmos in Synagogam ſuam adduxerunt, eoſque hoc ſanguine ungentes, mox ut tetigerunt, ab omni infirmitate dimiſerunt liberos. Quibus miraculis compuncti: Theodorum Berithenſem Epiſcopum adierunt, & data illi præfata imagine, indeque elicito ſanguine, poſtquam totum eventum ei retuliſſent, ſacrum ab eo baptiſma receperunt, *In Martyrol. die 9 Novemb. Et Tho. Caccinus in hiſt.*

*Concil. Nicen. fol. 108 & 109.*

20. Affirmant Chymici, quod ſi quis ſanguinem humanum juvenis ſani optimæque complexionis, nati in conjunctione Mercurii cum ſole, ſub ſigno geminorum, vel Virginis, quod menſibus Majo & Auguſto quovis anno evenire ſolet, prouti ex Ephemeridibus videre licet, habere poſſit, illum prius ab omni ſeroſitate, quam foras emittit, diſpoliet, miſceatque eum certa quantitate vini aduſti, bene ſublimati, hocque mixtum in balneo tepido poſitum pro meliori digeſtione relinquat, per quatuor, aut ſex dies, ut Spiritus vini aduſti bene tingatur; & ſanguis diſſolvatur, indeque acceptum in vaſe quodam alembico bene inſtructo ponatur, & ſecundum regulas artis diſtilletur, indeque elicitum ſalem, quem vocant volatilem, accipiat, & à fæcibus relictis pariter per vinum aduſtum dilutis, per viam ſublimationis eliceat ſalem fixum, per multas ſolutiones & congelationes: hoſque duos ſales ſimul junctos per octo dies ad lentisſimum ignem circulariter moveat, omnemque aquoſitatem [quæ magnam habet pro oculorum defectibus virtutem] abinde ſeparet, quod reliquum eſt in fundo vaſis, pro ſummo ſangvinis arcano, velut quintam eſſentiam vel balſamum, quod cuiuſvis alterius balſami virtutem ſuperat, reſervet; hoc enim ad ſtuporem uſque utile eſt adverſus infirmitates: eſt enim potens contra peſtem præſervativum, tollit omnem lepram, curat paralyſin, podagram, hecticos, phthiſicos, in ſumma, null reperitur in humano corpore infirmitas ad quam dicta medicina ſanandam non pertingat: Imò nonnulli dicunt, quod pari paſſu ambulet quo ad virtutem cum ſpiritu vitali fixo, è centro terræ elicito, quod omnes antiqui Philoſophi unicum & verum vitæ noſtræ tutamen eſſe aſſerunt. Veruntamen an prædicta à chymicis aſſerta in praxi vera eſſe comperiantur, an vero non, idipſum iiſdem defendendum libens relinquo. Certisſimam tamẽ & indubitatam veritatem eſſe ſcio, quod ſanguis humanitatis Chriſti omnium infirmitatum remedium ſit opportunum, verèque curativum. Et quidem non ſolùm earum quæ corpus, ſed etiam illarum quæ animam afficiunt. Unde S. Cypriani doctrinam in memoriam revocare, qui ait: *Vulneri ſane tam putrido & antiquarum cicatricum fætori non inveniebatur medicamentum conveniens, niſi unguento ſanguinis huius plaga vetus liniretur.*

*Apud Pet. le Fabrum in mirote rio Chimico c. 8. fol. 23. 24. & 25.*

*D. Cypr. de ja[illegible] Christi fo. 476. c. 1.*

21. Fabulam eſſe exiſtimo, qua balneum quoddam ejus virtutis eſſe dicitur, ut qui illud ſe lavandi cauſa ingreditur, depoſita canitie in juventutem uſque renovetur. Hoc enim ſi verum eſſet, nullus inveniretur, qui omnes ſuas divitias bene collocatas, omnemque laborem bene adhibitum eſſe non crederet, ad hoc ut idipſum in propria ſua perſona experiri poſſet. Verum quidquid de hujus veritate ſit, ſimplex tamen realis, & pura veritas eſt, quod balneum ſanguinis Chriſti, ſive myſtica ſacratisſimæ humanitatis ejus piſcina, efficacisſima ſit ad renovandas animas noſtras à canitie peccati ad juvenilem gratiæ ætatem, & tamen pauci inveniuntur, qui magni id faciant. Refert Sidonius certum quendam Regem omnes ſuos vendidiſſe theſauros ad unguentum quoddam conficiendum, ea virtute præditum, ut mortui eo inuncti ad vitam redirent: accidiſſe autem, quod Princeps quidam de magnis prædicti Regis theſauris certior factus, eundem Regem convenerit ad impetrandam theſauri illius videndi gratiam, qui cum in gazam regiam ſive ærarium eius eſſet introductus, in eoque nil præter vaſculum aliquod reperiret, attonitus ſtetit, cumque ei diceretur, in eo vaſe unguentum quoddam contineri raræ adeo virtutis, mirari deſiit, & vas illud præ omnibus totius mundi theſauris permaximi æſtimavit; verò enim verò mendacia & fabulas fabuloſis & mendacibus relinquámus, tanquam veri Chriſtiani veritatis nos amicos eſſe probemus; etenim ipſamet ſolis claritate clarius & certius eſt, incarnati Dei ſangvinem hanc in ſe continere virtutem, ut mortuos ad vitam reſuſcitare valeat. O quam pretioſus liquor? Optimè igitur Chriſtus dicebat, quòd, quisquis hoc electuarium animæ ſuæ applicaturus eſſet; hunc in ſe percepturus eſſet effectũ. Nunquid enim ipſum docentem auditis? *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem habet vitam æternam*

22 Abradace in prælio occiſo, conjux ejus, quæ viſceroſisſimè eum amabat, nomine Pantheona pectus ſuum mortali vulnere confecit è quo tandem deficiens, & ſupra ſponſum ſuum concidens, proprium ſangvinem ſuper ejuſdem vulnera abunde effudit, perſvadens ſibi futurum eſſe, ut ſanguine ſuo vitam ſponſo reſtitueret; *Forſan amore ſuaſa, quod ſanguine proprio illum vivificatura eſſet.* At vero hæc eſt

præ-

prærogativa quædam ſoli ſangvini Redemptoris noſtri reſervata, hic enim non uni duntaxat, ſed univerſim omnibus, dum in aſpero vitæ ligno penderet, proprio ſuo ſanguine vitam reſtituit: *Animarum noſtrarum ſponſus voluit ſanguinem ſuum in cruce fundere, ut proprio cruore & noſtra curaret vulnera, & naturam in peccatis mortuam vivificaret.* Spartani ad prælium procedentes, coccineis ſive rubicūdis induebantur veſtibus, quaſi color ille coccineus & cruentus inimicis incuteret terrorem ſuis vero animoſitatem & audacitatem ingereret. Sanguis Mori elephantis exhibitus animoſos & fortes illos efficit, ut refert Plinius, ac proinde Machabæis, quando elephantes ad prælium animoſos & fortes ſeu feroces reddere volebant, in conſpectu ejus feræ alicui colludere monebant, ut manantes ſanguinis rivos videntes, ignaviæ frœnum rumperent, & generoſi ac intrepidi evaderent; Antiochus quoque commiſſurus prælium cum Juda Machabæo triginta duos elephantes in aciem conſtituit, *Quibus oſtendit ſanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium.* Verùm etiam quanto majoris virtutis eſt ſanguis Domini noſtri ad reddendum nos animoſos & intrepidos adverſus inferni inimicos! Tametſi enim ipſis languidis & paralyticis intra quinque piſcinæ porticus conſtitutis debiliores eſſemus, nihilominus hic ſanguis vigorem, & animos nobis integerrime reſtitueret. Refert Vincentius Belluacenſis Sanctum Edmundum Cantuarienſem, dæmonem aliquando adjuraſſe eique in virtute ſanguinis Chriſti præcepiſſe ut fateretur quidnam eſſet quod vel maximè formidaret, & quo mediante facillimè ſuperari poſſet: *Adjuro te per aſperſionem ſanguinis* IESU CHRISTI, *ut dicas, in quo facilius te vincere poſſum,* Cui dæmon reſpondit: in eo quod nominaſti, id eſt, in ſanguine, in cujus virtute me adjuraſti.

*Vigil. ib.* — *Ar. imp. 13. fol. 453. col. 1.* — *Plinius l. 1. Mach. 6. Guilielm. Pariſien. ſer. 4. Dom. 4.* — *Vinc. Bel. in ſpec. hiſtor.*

23. Lapides è quibus fabrica templi Salomonici erecta fuit, ferrum nullum tetigit, ſed ſanguine vermis cujuſdam, qui ſamir dicitur, diviſi & expoliti fuere, de quo Petrus Galatinus aſſerit, eum virtutem ſuam perdidiſſe, mox ut natus eſt Chriſtus, cuius ſanguis majori eſt virtute præditus, ſiquidem potens eſt ad rumpendum corda, ipſis quoque lapidibus duriora, prout ſcribit Balthaſar Arias ſermone de circumc. fol. 123. Tandem verò diſcurſum hunc ſequenti hiſtoria terminemus, Thomiris Scytharum Regina *Aurum liquefactum in os gutturque Craſſi Romani infundens, etiam maledictis ei inſultavit dicendo: Aurum fuiſti, aurum bibe* Id quod Cyro Perſarum Regi eadem Regina quoque feciſſe ſcribitur, dum enim caput ei amputaſſet, idem in vas quoddam ſanguine plenum projecit, dicens: *Sanguinem ſitiſti, ſanguinem bibe*: Idem quoque tibi ô Roma dicere poſſum *non inſultando, ſed inculcando: Sanguinem* CHRISTI *ſitiſti, ſanguinem bibe* & abi in pace.

*Liran in 3 Reg. 6.* — *Pet. Galati.* — *Balthaſ. Araſſer, de circumc. fol. 123.* — *Abraham Bzovius in ſer. 6. poſt 1. Dom. Quadr. fol. 67.*